

secundum speciem, sed etiam secundum numerum, si simul sint producendi, ita ut simul non possit abique termino plura si producere, quia si talis multas infinitatem intendam argueret in producendo, etiam effectus producendi essent eisdem rationis; quod eo vel maxime urget in proposito, quia audiciones in Angelis ex Scoto sunt intellectiones causatae totaliter a loquente; Quod etiam explicari potest exemplo allato de portatione ponderis; nam licet possit quis successively, & eorsum portare plura, & plura pondera in infinitum, & abique ullo termino; tamen portare non potest plura, & plura simul sine termino, etiam si singula illa liberè portanda quoad hoc sint eisdem rationis; ratio a priori est, quia virtus finita quo magis ad plures effectus producendos simul applicatur, etiam si sint eisdem rationis, & speciei, eo magis minuitur; & contuminius; ut enim proverbium inquit, pluribus intentus minor est ad singula solutus; sicut ergo hac ratione nequit Angelus virtute propria plura corpora simul movere, sine determinato numero, nam quo plura simul movet, eo remissius, ac debilius movet; ita in proposito dicendum de virtute locutiva respectu plurium, & plurium in infinitum.

110 Respondet Malron. 1. diff. 2. apud Lichetum argumentum non concludere de effectibus eisdem rationis, quia virtus creata, ut homo, & ignis licet de facto non producant simul infinitos effectus eisdem rationis, scilicet plures homines, vel calores, possunt tamen illos producere quantum est ex parte sua, & tamen talis causa non est formaliter infinita, quia unus effectus eisdem rationis ad sui productionem non requirit majorem virtutem in causa producente, quam alius; effectus vero alterius rationis, requirit majorem virtutem in causa, quam alius alterius rationis, quia una species est perfectior alia, & sic unum individuum unius speciei est essentialiter perfectior quolibet individuo alterius speciei imperfectioris, qua responsione videtur etiam Valpes loc. cit.

Hanc tamen solutionem optime refellit Lichet. ibidem quia si daretur causa potens de producere infinitos effectus, seu non tot, quin plures alterius rationis, & speciei, non tantum esset infinita ex hoc, quod possit illos producere simul, sed etiam successively, quia si ad producendum unum requirit virtutem productivam perfectam, ut duo, & sic de aliis, sequitur, quod erit virtus infinita, quia quilibet illorum effectuum seorsim requirit majorem, & majorem virtutem in causa in infinitum; hoc autem non sequitur in causa potente producere plures, & plures effectus in infinitum eisdem rationis, quia non quilibet eorum seorsim sumptus requirit majorem virtutem in causa, sed eadem virtus sufficit ad singulos successively producendos; adhuc tamen & in tali causa loqueretur infinitas virtutis, si poneretur valens ad omnes illos effectus eisdem rationis simul, & semel producendos; & hoc evidenter convincit ratio adducta, quia virtus finita, ut dicebamus, quo magis ad plures effectus applicatur simul producendos etiam eisdem rationis, eo magis minuitur, & contuminius est ipsa simultanea applicatione ad plures, ex quo fit, ut quo plures producunt, semper producat imperfectiores; ergo impossibile est, quod producendo plures in infinitum, eos & neque perfecte producat, sicut si quemlibet seorsim produceret, & successively, quia licet unus eorum effectuum seorsim sumptus non requirit majorem perfectionem in causa, quam alius eisdem rationis; tamen simul sumpti requirunt majorem perfectionem, cum non possint aequè perfecte produci, sicut quilibet seorsim; unde licet non argueretur infinita virtus in causa ex ipsis effectibus productis, ut argueretur, si essent diversae rationis, argueretur, talem ex modo, quo producerentur, nempe simul, ac in eodem instanti indivisibili, ut docet Scotus 1. diff. 1. quest. 1. 2. 3. diff. 14. q. 2. N. de quo dixi supra n. 185.

111 Ad exemplum pro parte opposita adductum de eodem homine pluribus sine termino proportionate presentibus loquentem, ac etiam aequè distincte, & perfecte per eandem vocem, nam ad eandem vocem Concionatoris plures simul distincte ac aequè perfecte audiunt, si fuerint proportionate presentibus; ergo ipsam praesentem poterit Angelus, cum sit altioris virtutis; ad hoc, inquam, exemplum occurrit Valpes negando pariter, primo, quia sonus ad aures venit per multiplicationem specierum in medio ex se ipsis, & non immediate a loquente, sicut circulationes in aqua percussa in medio inter se multiplicatur activè; deinde quia actus audiendi sonum partialiter tantum, & minus principaliter causantur ab illo in diversis partibus; & magis principaliter a potentis ipsis, ut audiciones in Angelis ex Scoto sunt intellectiones totaliter causatae a loquente; & ideo cum nequeat Angelus plures, & plures aequè intelligendi causare simul, & semel in pluribus sine termino, ac aequè perfectos, & distinctos, hinc est, quod loqui nequit pluribus in quovis multitudine sine termino. Ex hoc pariter respondet ad illam Tatarum confirmam-

tionem de albedine, quae quantum est de se in infinitis oculis causatur in infinitis speciebus, & visionibus, negando rursus partem; quia multiplicatio illa specierum eisdem albedinis ad plures oculos, & infinitos, sicut & vocis concionatoris ad infinitos auditus, non necesse est immediate ab eadem causa, cum speciei visibilium, & speciei soni in medio potius inter se multiplicentur activè ad plures potentias proportionate praesentes, ut dictum est, & quando etiam albedo ipsa ad infinitas illas visiones immediate cum potentia concurreret, licet probabilius sit concurrere speciem ipsam albedinis in oculo receptam, non adhuc sequeretur propositum; cum ille concursus albedinis sit partialis tantum, & minus principalis; actio autem intellectus Angelici loquentis in pluribus, & pluribus audientibus ponitur totalis, ac proinde in eo infinitatem virtutem argueret, si simul illos effectus produceret, vel produceret posset sine termino, & aequè perfectos.

Hec responsio satis idonea est, atque conformis doctrinae de multiplicatione specierum sensibilium in medio, quam tradidimus in libris de anima; & solum in hoc est differentia, quod eodem modo dicitur de speciebus visibilibus, & audibilibus de multiplicatione activa per medium, quod una producat aliam, & non omnes immediate ab objecto producantur; nos autem licet id de speciebus audibilibus admittamus, non tamen de visibilibus, quas complemur immediate ab ipso objecto producti, & in eodem tempore per totam sphaeram activitatis ejus; & ratio discriminis assignata est disp. 5. de anima quest. 3. artic. 3. num. 153. Neque adhuc ob id igitur exemplum de albedine, vel corpore luminoso immediate per totam sphaeram activitatis suae speciem diffundente quia adhuc habet certam, ac determinatam sphaeram activitatis suae, & omnia illuminabilia intra illam contenta, quovis quocumque sint, sunt partes unius illuminabilis, & unum passum adaequatum constituit virtuti illius agentis proportionatum, adeo ut si extra illam sphaeram unum duntaxat illuminabile reperiretur, & species a corpore luminoso emissa non perveniret ad illud; Unde ex hoc constat vel negandum esse partem in argumento assumptam, quia Angelus loquens non ita respicit audientes in quacumque multitudine pro uno adaequato passivo, ut nunquamque disparat, vel illi quoque assignandum esse certum, & determinatum numerum audientium, sicut obiectis assignantur certa, & determinata sphaera activitatis eorum pro diffusionem specierum, ut docet Doctor quest. 20. G.

Sed responsum Valpes, quae est communis Scotistarum, 312 refellit auctor ille contrav. 32. tit. quia est immediate contra Scotum 2. diff. 9. q. 2. Causentem receptum in medio non esse causam recepti in termino, sed tantum esse veluti effectum priorem ab eadem causa, ita quod visibile prius quodam speciem in medio, ut effectum priorem, quam causet speciem in potentia, quae speciem sunt alterius, & alterius rationis; & hoc est consonum rationi, quia cum illa receptiva, licet medium, & potentia ut talia, sint alterius rationis, necesse est ut recepta in illis sint alterius rationis, quia receptivo alterius rationis correspondet perfectio alterius rationis. Nec pariter valet dicere, eam rationem militare solum de causis totalibus, non partialibus. Non valet, nam eadem ratio, quia causa totalis non potest plures effectus adaequatos producere, proinde etiam de causa partiali, & minus principalium; nam virtus causae partialis sit rota applicata unius effectus, non potest alteri se applicari, cum quilibet applicatio supponat virtutem, ut patet in exemplo allato de portante pondus.

At non semel dixi Tyrone huic Auctori multum fidere non debere, eo quia sepius genuinis impugnat Scotistas, non ratione, sed sola Scoti auctoritate aut falso citati, aut perverte intellecti, ut in proposito est de ipsa Scoti littera, loc. cit. ubi sic loquitur: *Primum est, quod si unum quodlibet speciem, & visionem, sine duos effectus ordinatos, hic, & ibi receptivum remanet recepti, aliquid, quod simul eisdem rationis recipitur in medio, sed receptum alterius rationis recipitur in medio, & hoc accidit, quia receptum in medio non est causa recepti in termino, sed est sicut effectus prior illa comparando illa ad eandem causam, ubi lucet clarior patet, quod non comparat inter se speciem receptam in medio, & speciem receptam in oculo, vel utriusque effectus ab eadem causa productus cum ordine prioris, & posterioris, neque dicit, quod visibile prius causa speciem in medio, ut effectum priorem, quam causet speciem in potentia neque in hoc sensu dicit, quod receptum in medio non est causa recepti in termino, nec tantum dicit, quod species recepta in medio, & recepta in potentia alterius sunt rationis, quos demens hoc dicitur, cum sint representativae eisdem obiecti ab obiectis autem specificantur speciem representativae, & non a subiectis, sed comparat inter se speciem, & visionem, sicut duos effectus ordinatos, & ex hoc infert receptivum remanet, scilicet oculum recipere aliquid, quod est alterius rationis a recepto in medio, nempe visionem, quae cum sit actus vitalis, non nisi in subiecto vitali non est recipi;*

& in

& in hoc sensu dicit, quod receptum in medio non est causa recepti in termino, quatenus scilicet species recepta in medio non est causa visionis in oculo, sed utrumque immedie causatur ab ipso visibili, atque ideo inter se comparatur in ratione effectus prioris, & posterioris ab eadem causa.

Ex quo patet, quam subtiliter Auctor ille Scotum intelligat etiam clare loquentem. & quam nervose ex hoc capite responsum Vulpis impugnet, ut immediate cum Scoto pugnet. Optima enim erat alia disparitas a Vulpio allata, quod albedo partialiter solum, & minus principaliter concurrat cum potentia visiva ad actum visionis; unde infinitas quoque visiones simul causaret in infinitis potentis, non hinc argueretur in ea infinita virtus, quia eadem virtus sufficeret ad omnes actio autem intellectus Angelici loquentis in pluribus, & pluribus audientibus ponitur totalis, ac proinde in eo infinitatem virtutem argueret. Et male replicat Auctor ille hanc etiam rationem urgere de causa partiali; tunc enim sequeretur intellectum de facto esse virtutem infinitam, quia potest partialiter concurrere cum pluribus, & pluribus obiectis in infinitum ad diversas intellectiones alterius, & alterius rationis, & Lichet 2. diff. 3. qu. 10. hoc praecise de causa inquit, non sequi infinitatem in intellectu, quia est tantum causa partialis eorum, nec illa intellectiones etiam alterius rationis, aliam, & aliam perfectionem in intellectu requirit; sed eadem, quae sufficit ad unius obiecti intellectiorem in genere potentia, sufficit etiam ad intellectiorem alterius obiecti perfectioris, & specie distincti, ut dictum est supra num. 179. Quod etiam illo eodem exemplo de portante pondus convincitur in pluribus effectibus ejusdem rationis simul, & semel producendis; nam si quis per modum causae partialis applicet totam suam virtutem ad portandum cum alio pondus centum librarum, ita ut cum illo eodem nequeat portare majus pondus, si alius sibi adiungatur majoris virtutis, poterit ipse pondus penitus virtute, & eodem prorsus modo applicata portare majus, & majus pondus in infinitum ex conjunctione alterius concave semper majoris virtutis, non nisi quia partialiter concurrat, & semper per eandem virtutem, major perfectio effectus semper tribuitur alteri concave magis principali.

QUESTIO DECIMA.

An Angelus possit naturaliter cognoscere effectus supernaturales, & mysteria gratiae.

ARTICULUS PRIMUS.

Status Quaestioni proponitur.

114 D Vplex distinguitur soler a Theologis genus effectuum supernaturalium, alii dicuntur supernaturales quoad substantiam, ut unio hypostatica, visio beata gratia sanctificans, & similes, talesque dicuntur, quia nullo modo a causis naturalibus fieri possunt, sed a solo Deo, ut auctore supernaturali, & supra totius naturae existentiam operante; alii dicuntur supernaturales tantum quoad modum, ut mortui resurrectio, vius resurrectio, & similia, & tales dicuntur, quia simpliciter fieri possunt a causis naturalibus, licet non cum talibus circumstantiis, quia naturaliter a privatione ad habitum non datur regressus, & de qua distinctione plura diximus libro primo, disputatione sexta, quaestione secunda, ubi ita unum effectus primi generis verè, & proprie dici debere supernaturales quoad substantiam, & non tantum quoad modum, ut nonnulli opinabantur Scotista, etenim negari nequit longe aliter esse supernaturalem unum hypostaticum, visionem beatam, & similes, quam visum caeco restitutum; Neque talia entia secundum substantiam supernaturalia negare intendit Doctor 4. diff. 2. 10. qu. 8. G. sed tantum in eo sensu, quo ponantur a Thomistis, quasi nimirum hujusmodi accidentales formae secundum suam entitatem absolutam, & interiectam rationem sint supernaturales; & ordinis divini, ut ipse loquitur; nam praesata distinctio entium supernaturalium secundum rem, vel modum admittit debet tantum relate in ordine ad efficiens, & non absolute debet tantum formalem entitatem; quia ut ait Doctor ibi naturale, & supernaturale non distinguuntur naturaliter in se, sed tantum in comparatione agentis; adeo ut supernaturale secundum modum dicatur illud, cujus entitas est supra vires naturae, non absolute loquendo, sed tantum quoad circumstantiam, quatenus fit vel pro privationem, vel contra ordinem naturae; unde entitas producta non excedit facultatem naturae, sed tantum modus, quod sit hic, & ubi; supernaturale vero secundum substantiam dicitur illud, cujus entitas est supra vires naturae absolute loquendo, & est a solo Deo producibile supra omne debitum virtutis creatae, vel supra omnes ejus exigentiam modo explicato disp. 6. cit. qu. 2. art. 1. Ad id in Secunda Sententia.

1. ex quo patet totam hanc distinctionem assignari per extrinsecam, scilicet per comparationem ad agentem, non autem penes intrinsecas rerum entitates, ut ibi ostensum est etiam ex Adversariorum doctrina.

Quaestio praesens non est de effectibus supernaturalibus secundum generis, nempe quoad modum, quod per extrinsecam, sed de effectibus certis, & evidentibus ab Angelis cognoscendis, imò & ab hominibus, nempe mortuorum resurrectio, caecum esse illuminatum, & similes quia hujusmodi effectus secundum entitatem suam sunt naturales, atque ideo naturaliter cognoscibiles; & quia inter hos effectus secundum generis computari etiam debent suo modo, quatenus oppositorum eadem dicitur esse disciplina, negationes effectuum naturalium, quando supernaturali modo proveniunt a Deo, hinc concedunt etiam Adversarii hujusmodi negationes sic a Deo provenientes extrinsecam modo, posse naturaliter ab Angelis cognosci, ut potè videbant Angeli, quod ignis Babylonius tres pueros non comburebat; & sic ex natura sua, nisi impediantur, cognoscent in hostia consecrata non adesse substantiam panis, & in humanitate Christi non inveniri substantiam propriam creatam, si haec quid positivum importare dicitur; & consequenter etiam certis, & intuitivè cognoscent, & non arguunt tantum, accidentia panis, & vini existere abique proprio subiecto; & hoc totum concedunt Amicus disp. 13. Avera 4. 57. tit. 8. & alii. Solum ergo est quaestio de effectibus primi generis supernaturalibus, scilicet secundum substantiam, & semel, imò est de cognitione distincta, & per proprio conceptu, five sit abstractiva, five intuitiva, & immediata; nam loquendo de cognitione mediata, & arguitiva ex conceptibus alienis, gratis concedunt etiam Thomista quod Angelum notitiam ad se sequi illorum, nisi impediantur; quamvis id quoque alii negent, ut Suarez cap. 29. & Artiga disp. 10. sect. 4. Nazarius quest. 57. art. 5. contrav. 1. de illatione certa, & evidenti, exempli gratia, si Angelus eo modo, quo cognoscit singula accidentia inherere subiecto, videat quantitate, quae erat panis in Eucharistia manere abique subiecto; deducit conlervari per se existentiam miraculosè a Deo; item si percipit humanitatem Christi carere propria substantia, & vera sit sententia infertens non posse carere omni substantia, nec posse terminari alia creatura; deducit planè Angelus humanitatem Christi existere unitam persone divinae.

His praecipuis pro intelligentia quaestio communis sententia Thomistarum est cum D. Thoma 1. part. 4. q. 17. art. 1. effectus supernaturales secundum substantiam, quae dicit solentur virtutis gratiae, non posse ab Angelo naturali virtute, scilicet revelatione divina, eridenter, & sub proprio conceptu cognosci; sed ad lumpum arguitur tantum, & ex alienis conceptibus; quorum fundamentum est, quia cognitio effectuum supernaturalium hujus generis non est naturaliter debita intellectui creato, ut potè quia sunt superioris ordinis, & consequenter superioris intelligibilitatis, atque ideo ad eorum distinctam cognitionem habendam, & sub proprio conceptu non sufficit naturale lumen. Opposita sententia tribuitur Suarez 4. disp. 10. q. 8. ubi loquens de praesentia corporis Christi in Eucharistia vult naturaliter posse cognosci ab Angelo, & infolutione ad tertium principale indefinitè docet mysteria gratiae, ex quo posita sunt in effectum, posse etiam a Deo tonibus cognosci, nisi de facto impediretur; atque in hac universitate eam tueri videntur quidam Scotista Rada 2. part. contrav. 8. Aretin. 4. diff. 10. quest. 8. Angles disp. 3. qu. 4. diff. 2. & alii dicentes posse Angelum incarnationem quoque naturaliter cognoscere; Verum quicquid isti Scotista sentiant quia factis clarè non loquuntur, falso tribuitur Scoto haec sententia in tanta universalitate, nam loc. cit. loquitur tantum de misterio Eucharistiae, & in responssione ad tertium loquens de mysterio Incarnationis docet expressè malum Angelum hunc misterium naturaliter posse tantum arguitur attingere, & non directè sub proprio conceptu, quem importat hypostatica unio; imò id rectè perpendatur, non loquitur ibi de misterio Incarnationis quoad substantiam, sed tantum quoad circumstantias, inter quas aderat circumstantia integritatis Mariae Virginis, quam inquit bene potuisse naturaliter Angelum cognoscere tam mente, quam in corpore, hoc enim non superat captum, & intelligentiam Angeli, sed non fuisse hoc Deo permittit, ne nostra impediretur redemptio; quod accurate notarunt Valpes disp. 11. art. 11. Brancasius disp. 7. qu. 10. art. 2. & P. Bellurus Collega meus disp. 1. de Incarnatione qu. 3. & Rada ipse loc. cit. dixit tantum posse ab Angelo incarnationem naturaliter cognosci per illationem evidentem, non verò directè, & sub proprio conceptu.

Non ergo haec est ejus universalis sententia quoad omnia mysteria gratiae; ep praesertim, quia quol. 14. GG. docet obiectum primum intellectus Angelici, vel humani esse natura potentiae naturalis attingentis ex concursu causarum natura-

lum esse præcise ens limitatum ad se, vel ad alterum limitatum, entitatem vero limitatam, quæ est essentialiter ad alterum illimitatum, non esse naturaliter intelligibilem ab intellectu creato, sicut nec terminum, sine quo nec ipsa potest intelligi sub proprio conceptu; Quia ratione notarum trium præfati Scoti hæc expiendi sunt: Quia ratione Trinitatis, utpote intrinsecè illimitatum, ac omnino ordinis divini, & alia pariter mysteria in actibus immanentibus intellectus, & voluntatis divine intrinsecè consistentia, ut mysteria prædestinationis, reprobationis, glorificationis, & damnationis coisulvis rationalis creaturæ; ac in seipso quæcunque alia creata respectum pro formalis præferentia ad Deum sub ratione Deitatis; vel sub aliqua ratione solum ex revelatione cognoscibili, & aut ad liberam suæ voluntatis dispositionem, ut sunt Verbi incarnatio, seu hypostatica unio, iustificatio impij per infusionem gratiæ, glorificatio, opera de condigno vitæ æternæ meritoria, aliaque similia.

ARTICULUS SECUNDUS.

Resolutio quæstionis.

317 **D**icendum est aliquos effectus supernaturales ad gratiæ mysteria pertinentes, supposito jam primo miraculo, quod sunt a Deo producti, & ad actore supernaturalem supra omnem naturam existentiam posse deinceps ab Angelo naturaliter cognosci distinctè, & evidenter, aliquos vero non, sed solum supernaturaliter, & media revelatione; Hæc conclusio est Scoti, & confirmatur ex pluribus Nominalium, quam etiam tenet Poncius *disput. 21. quæst. 5.* & ex externis *Arriaga disputation. 10. sect. 3. sub sect. 3.* & 4. & quoad primam partem, quæ est contra communem Thomistarum probatur. Primo, quia Angelus habens actum supernaturalem experitur se illum habere, nam & nos ipsi experimur actus nostros supernaturales, quibus credimus, speramus, & amamus Deum; & dominium; quod Angelus supra tales actus habet, exigit ut supposita eorum existentia, possit eos cognoscere naturaliter. Respondet Suarez *cap. 29. in fine* in eo casu volvere quidem Angelum se credere, & amare, non tamen an tales actus sint supernaturales, quia eos cognoscit abstractivè tantum & non perfectè. Sed contra, arguit Poncius, quia saltem existentiam suorum habituum supernaturalium potest cognoscere etiam, ut supernaturales sunt; videt enim in se suos habitus naturales, qui acquiruntur actibus, & videt naturam illorum esse, quod producantur physice per actus; videt vero supernaturales non augeri physice per illos actus; ergo potest cognoscere, quod sint per se intus, & consequenter supernaturales; potest etiam experiri, quod per habitus naturales faciliatur ad operandum; per alios vero non faciliatur; & hinc potest colligere, quod qui non faciunt, sint rationis ordinis, & per se intus, Sed quavis hoc argumentum optimè concludat contra eos qui negant etiam cognitionem mediatam, & diffusivam posse Angelum de factis certo inferre ex effectibus aliis existentiam aliquis rei supernaturalis, quoad substantiam; tamen idoneum non videtur ad evitendam responsionem datam, quæ negat tantum eos actus, & habitus ab Angelo cognosci, ut supernaturales, directè, & immediatè.

318 **M**elius itaque resicitur ab Arriaga; quia cognitio illorum actuum est immediata, & non per diffusivum; se enim credere, & amare Deum non cognoscit Angelus ex alio, sed immediatè in se id experitur, ergo potest experiri in se actum illum esse supernaturalem, dato enim immediato concursu ejus ad cognitionem sui, gratis dicitur solum concurrere ad ostendendam rationem communem sui, in qua convenit cum actibus naturalibus, & non ad aliam, maxime cum in eo actu re ipsa identificentur ratio superior, & inferior; Tum quia jam per hanc solutionem conceditur naturaliter habere Angelum cognitionem terminatam ad rem supernaturalem saltem specificativè; ergo non est ratio, cur negetur eam esse cognitionem claram, & distinctam; Tum quia in visione beata solutio illa locum habere nequit; si enim Angelus videt clarè, & distinctè Deum, potest naturaliter per actum reflexum experiri se habere talem visionem, & tunc non solum noscet se habere actum cognitionis Dei utique, sed claram, & intuitivam; potest ergo supposito primo miraculo de elevatione intellectus ejus ad claram. Dei visionem naturaliter deinde noscere rem supernaturalem secundum substantiam, qualis est beata visio; unde ad summum inferri potest eam cognitionem esse supernaturalem præpositivè quia non potest haberi, nisi aliquid supernaturale præcesserit, non vero propriè, & formaliter.

Tum denique, quia si aliquid impediret, quin ille actus cognosceretur ab Angelo, ut supernaturalis; maxime id esset supernaturalitas, sed hæc non impedit quia potest etiam aliquid aliud cognosci supernaturale quoad substantiam naturaliter,

ter, nam si poneretur à Deo corpus idem simul pluribus in locis circumscriptivè, talis simulitas naturaliter cognosceretur ab Angelis, imò & à nobis, perciperemus enim Petrum verbigrat. esse hic, & ibi, & tamen ea præsentiam simulitas in eodem subiecto est supernaturalis quoad substantiam, nam ei tota convenit definitio effectus supernaturalis quoad substantiam, ergo &c. Neque satis convenit Suarez *lib. 2. cap. 29. num. 2.* asserit existentiam unius corporis in duobus locis esse supernaturalem tantum quoad modum; etenim ibi docet inter res creatas illam dici supernaturalem in substantiam, quæ in sua entitate considerata est ordinis supernaturalis, id est supra naturam subiecti, in quo est, ita ut illi, vel aliter creato conaturalis esse non possit; quæ vero tantum supernaturaliter sunt, & postquam sic facta sunt, conaturaliter insunt, vel in suo esse subsistent, vel aliter possunt à causis naturalibus fieri, dicuntur supernaturalia quoad modum; sed juxta hoc discrimen ab ipso positum inter effectum supernaturalem quoad substantiam, & quoad modum, evidenter constat existentiam ejusdem corporis in pluribus locis convenire tantum descriptionem entis supernaturalis quoad substantiam, non autem quoad modum; quia postquam corpus positum est in pluribus locis, non conaturaliter illi convenit simulitas plurium locorum, nec ita potest illo modo ab agente naturali in pluribus illis locis simul consisti, ergo &c.

319 **S**ecundo, hoc idem argumentum conficit Doctor in argumentis ad oppositum *quæst. cit. de præsentia Christi Domini in Eucharistia*, quia anima Christi novit naturaliter se esse ubique esse, & per consequens novit se esse in Eucharistia, & modum, quo ibi existit; & consequentia probatur, quia non est possibile, quod cognoscat se esse in Eucharistia, & non cognoscat modum, quo ibi existit, quia talis modus essendi in Eucharistia includitur intentionaliter in cognitione, quæ cognoscit se esse in tali loco non enim potest cognoscere se esse in Eucharistia, quia cognoscat se non esse extra hostiam, & quod pars suis corporis non est in parte hostiæ, sed totum in toto, & totum in qualibet parte hostiæ. Vaquez *disput. 21. cap. 4. gratis concedit modum*, quod Christus existit in Eucharistia sub speciebus totis in toto, & totus in qualibet parte earum, nequid ab ipsa anima Christi potest naturaliter cognosci, sed etiam ab Angelo virtute propria, quia venit non esse supernaturalem quoad substantiam, sed tantum quoad modum; & subdit *num. 35.* quod quavis etiam hic modus existendi Christi in Eucharistia effectus suapte natura ordinis supernaturalis; nihilominus fore, ut cognosci possit corpus Christi secundum substantiam suam sine illo modo, ut ait Cajetan *arriaga. 7.* nam quemadmodum humanitas Christi nunc cognoscitur a Demoniis non cognito modo unionis; ita etiam posse corpus Christi cognosci non cognito illo modo; nihil enim repugnat, quin minus unum cognoscatur non cognito alio, quando unum non est de essentia alterius; neque ejusdem ordinis cum illo. Ceterum Suarez *loc. cit.* & alii Thomistæ communiter concedunt modum positivum existendi corporis Christi sub speciebus esse effectum supernaturalem quoad substantiam, quod etiam facile probari potest ex descriptione allata entis supernaturalis secundum substantiam de communi consensu, quam etiam ipse Valq. approbat *ex disput. 21. q. 2.* ubi ait relationem, quam importat supernaturalitas dupliciter posse considerari, primò comparatione facta cum subiecto, in qua forma supernaturalis recipitur; deinde cum causa, à qua producit, etenim ita ab extrinseco advenit, ut subiectum suapte natura talem perfectionem non expolcat, sed à solo Deo super naturalem inclinationem cujusque subiecti producat; hoc autem totum verificatur de illo modo spiritali essendi in loco totum in toto, & totum in qualibet parte respectu corporis Christi, ergo revera est supernaturalis quoad substantiam, & non tantum quoad modum; Quod si supernaturalis dicitur tantum quoad modum saltem habebimus posse naturaliter videri ab intellectu Angelico, quod passim negatur à Thomistis.

320 **N**eque etiam valet alia responsio Vaquez, posse videri corpus Christi in Eucharistia ab Angelo sine tali modo, quia neq. est de essentia illius, neque ejusdem ordinis cum illo, etenim non urget argumentum de cognitione purè quidditivam, & abstractivam per speciem habita præsentantem objectum præcise secundum prædicata sua quidditivam, ut abstracta ab hic, & nunc, sed de cognitione intuitiva; quæ attingit objectum etiam sub his conditionibus præsentantem sub propria præsentia, & existentia; Et quando dicitur modus ille existendi non esse ejusdem ordinis naturalis cum corpore Christi, sed alioquin, hoc verificatur tantum extrinsecè respectu causæ, & subiecti, cui indebitus, alioquin intrinsecè consideratus secundum suam entitatem est ejusdem ordinis naturalis cum corpore Christi, & consequenter secundum intelligibilitatem, & planè mirabile est, ut advenit Vulpes omnes passum Adversarios expresse affirmare supernaturalem non esse prædicatum intrinsecum absolute, generativè rem constitutens in tali esse, sed solum

solum extrinsecum, & relativum illam formaliter denominans comparatione subiecti, vel causæ efficientis; & postea asserere, quod tales effectus sint extrinsecè super naturales, ac secundum entitatem, & quod proinde habeant cognoscibilitatem superentem intellectus creato facultatem; sanè cognoscibilitas est naturaliter proprietates ejus entitatis absolute commensurata præcise quocumque respectu ad illud extrinsecum.

Denique præcise dicere posse cognosci ab Angelo naturaliter corpus Christi sine illo modo spiritali existendi sub speciebus quemadmodum humanitas Christi nunc cognoscitur à Demoniis non cognito modo unionis; jam apparet manifesta disparitas; primò, quia modus unionis hypostaticæ nullo modo pertinet ad humanitatem Christi, quatenus est objectum cognitionis Demoniis, tam abstractivè, quam intuitivè, cum præsertim in sententia nostra propria habeat existentiam aliam ab existentia divini supposito, secundum quam terminare valet notitiam intuitivam, tum quia ut constat ex dictis *num. 317.* unio hypostatica aut est respectus, aut essentialiter includit respectum ad terminum illimitatum nempe ad divinum Verbum, in quo positiatur humana natura; unde cognosci nequit clarè & distinctè, quin etiam sic cognoscatur saltem abstractivè taliter terminus illimitatus, quod planè facultatem superat intellectus creato; præsertim vero corpus Christi in Eucharistia licet sit effectus supernaturalis etiam quoad substantiam, non tamen dicit respectum ad talem terminum illimitatum, atque idè facultatem creati intellectus non superat quare supra dictum est quoad cognoscibilitatem non idem esse omnino idem iudicium de omnibus effectibus supernaturalibus etiam quoad substantiam; nam qui præferunt respectum ad Deum sub ratione Deitatis, aut sub alia ratione solum ex revelatione cognoscibili, utique naturaliter cognosci nequeunt clarè, & evidenter ab intellectu creato; qui vero talem respectum non involunt, planè cognosci possunt absque ulla implicancia, ut constat ex solutione objectionum.

321 **R**espondet proinde aliter alii Thomistæ etiam ex eodem Cajetano à Vaquez citato in hac cognitione expiendam esse animam Christi, quia existentia Christi in Eucharistia pertinet ad latitudinem cognoscibilitatis ab ipsa anima Christi, ita quod sicut dicimus cogitationes unius Angeli esse utique illi manifestas, quia ad ipsum spectant, non autem aliis, quia ad eos non spectant; ita in proposito dicendum de existentia corporis Christi in Eucharistia, quia responsio consequenter quocumque darent priori argumentum, quo probatur Angelum naturaliter cognoscere actum supernaturalem à se elicium, quia nimirum dicerent tales actus ad ipsum pertinere, sicut pertinent propriæ cogitationes. Sed contra, quia jam ex hoc ipso sequitur supernaturalitatem non esse causam, propter quam intellectus creatura nequeat cognoscere præsentiam Christi in Eucharistia, alioquin neque intellectus ipius illam videre poterit, quia esset ei improporcionata, sed aliud peti debere; sicut quod Angelus non possit cognoscere cogitationes cordis alterius, non provent, quia illæ sint ordinis supernaturalis, sed aliud. Tum quia, quod illa præsentia spectet ad animam Christi est omnino impertinens ad hoc, quod sit naturaliter cognoscibilis ab ea, vel non; nam nihil est naturaliter cognoscibile, quod non cadit sub objecto naturali potentia, si ergo anima Christi naturaliter cognoscit illam præsentiam sui corporis, opus est, quod sub objecto ejus naturali continetur, alias non posset eam naturaliter cognoscere; Tum quia, quod ad eam spectet ea præsentia, non est in causa, quod cadat sub ejus objecto naturali; si ergo naturaliter cognoscitur ab anima Christi, à quocumque intellectu creato poterit cognosci, cum quilibet creatus intellectus ex natura potentia habeat idem objectum adæquatum naturale; & eodem modo resellenda est hæc responsio, si ad primum applicaretur argumentum.

322 **T**ertio probatur ulterius, posse Angelum naturaliter videre modum existendi quantitatis sine subiecto in eodem Eucharistia Sacramento; vel enim ille modus solum est negativus importans privationem inhærentiæ subiecto, ut nos diximus *disput. 3. Physicæ quest. 4. art. 2.* & tunc consequenter concedendum est talem modum posse naturaliter ab Angelo cognosci clarè, & evidenter, cum naturaliter cognoscere possit destinationem panis, & vini in Eucharistia ut adversarii quoque concedunt, & probat Doctor lic. F. quia virtus potens cognoscere objectum naturaliter, dum est prærens intuitivè, potest cognoscere quocumque ejus absentiam ex 2. de anima, quia per visum cognoscimus non tantum lucem, sed tenebram, si ve negationes caritatis immediate, & directè cognoscuntur in seipsis si ve per species habitum oppositorum; cum ergo intellectus abstractus possit cognoscere præsentiam panis, quia non est objectum supernaturale; poterit quoque cognoscere absentiam eius; Cùm igitur ex alia parte cognoscat quoque clarè, & distinctè accidere

ia panis, & vini in Sacramento existere, consequenter clarè quoque, tacè evidenter cognoscit ea sine subiecto excelle. At vero si ultra carentiam illam habent quantitas consecrata peculiarem modum subsistenti, si ve per se existendi supernaturalem adhuc necesse est talem modum ab Angelo etiam naturaliter cognosci, si ve directè, & immediatè in seipso, vel saltem per illationem certam, & evidentem; sicut enim singularia accidentia suapte natura in hæretis subiecto, videt quantitatem, quæ erat panis, in Eucharistia manere absque subiecto, ergo consequenter videt illam conservari à Deo miraculose per modum quandam supernaturalem ei communicatum, vel saltem per illationem certam, & evidentem deducit sic conservari.

323 **R**espondet Suarez *num. 20.* non posse talem modum ab Angelo naturaliter cognosci, directè, ac proprio, & quidditivè conceptu, quia est modus supernaturalis in entitate, atque idè Angelus non habet speciem innatam illius modi; Sed contra, quia hæc est manifesta petitio principij, id est enim, quod disputatur, an supernaturalitas quoad substantiam possit semper esse ratio, cur aliquis effectus sic supernaturalis non sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato; & nos id constanter negamus in quibusdam effectibus; si cum quæ ad cognitionem intuitivam nulla est necessaria species generis vicem obiecti, si obiectum est in se prærens; & quando etiam esset necessaria species, posset illam Angelus acquirere ab obiecto præsentè, & debite approximato, nam supra probatum est posse accipere species à rebus operi intellectus agentis; tum quia quando etiam illas habere debet innatas omnium naturaliter ab ipso cognoscibilium; talis species esset conaturaliter debita Angelo supposita existentia talis obiecti; nempe illius modi per se prærens quantitatis in Eucharistia communicati; tum tandem, quia etiam illi Angelus talem modum non cognosceret directè, ac proprio conceptu quidditivè per propriam speciem saltem illum cognosceret per illationem certam, ac evidentem, quod etiam negat Suarez, asserens Angelum de facto nunquam certo inferre ex effectibus aliis existentiam aliosus rei super naturalis quoad substantiam; Sed planè sine ullo fundamento, quia si in tali casu Angelus non certo, sed dubitative procederet in ea illatione, ut ait *num. 47.* sanè nulla datur evidentiæ naturalis per dicendum. Respondet Nazarius videri ab intellectu Angeli existentiam illorum accidentium quoad negationem existentiam in subiecto eorum naturalium, non autem quoad modum positivum existendi supernaturalem. Contra, quia cognoscit accidentia non posse naturaliter sine subiecto conservari; cum ergo videt illam perseverare in Eucharistia; cognoscit cognoscit quæ videt directè, & immediatè conservari per modum supernaturalem, vel saltem per illationem certam, & evidentem, quod etiam ibi negat respondens.

Hinc Vaquez concedit, talem modum per se existendi accidentium in Sacramento naturaliter, & distinctè cognoscit ab Angelo; sed negat esse supernaturalem in substantia, quia ille modus sequitur necessario ex carentia rei naturalis, nempe substantiæ panis; ergo est naturalis, quia nihil supernaturale in substantia potest necessario oriri ex carentia rei naturalis. Sed contra, quia ille modus nulli rei potest esse conaturalis, quia non accidenti, nec etiam substantiæ; quia licet substantia habeat propriam substantiam, quam Angelus naturaliter cognoscit, est tamen alterius rationis, & speciei, ut fatentur, qui talem modum positivum admittunt accidentibus in Eucharistia communicatum; Neque verum est modum illum necessario sequi ex carentia rei naturalis, scilicet substantiæ panis, non enim ex destructione subiecti præcise inferitur conservatio accidentis extra subiectum, imò potius destructio quoque ipsius accidentis, sed ille modus inferitur ex volitione supernaturali Dei de conservandis accidentibus destructo subiecto, quia voluntate in executione posita talis modus conservandi accidens sine subiecto cognoscitur ab Angelo; Et hæc ratione etiam deducit Doctor *loc. cit.* quod quia ratione potest naturaliter cognoscere absentiam substantiæ panis, potest etiam cognoscere præsentiam corporis Christi; non quidem quia ex destinatione panis sequatur ex natura rei, necessario præsentia Christi ad species Sacramentales, quoniam posset panis deperire, & accidentia conservari à Deo sine subiecto, & adhuc ibi non fieri prærens corpus Christi; sed quia jam decrevit Deus ad destinationem panis apponere ibi corpus Christi, quæ legè stante, & posita in executione, benè Angelus ibi cognoscere potest existentiam corporis Christi.

324 **Q**uarto, Doctor ibidem *4. disput. qu. 8.* in tertio argumento ad oppositum probat ulterius posse Angelum naturaliter videre visionem beatificam alterius sicut quocumque alios actus; qui actus ille quoad entitatem suam absolute naturalem, secundum quam est in prædicamento qualitatis, præcedendo à respectu, quem dicit ad obiectum beatificum, non magis excedit intellectum Angelicum, quam anima, vel essentia Angelicæ ergo

ergo si potest beatus naturaliter videre essentiam alterius vel animae, vel Angelis, poterit quoque videre actum beatificum abique eo, quod videt obiectum beatificum, in quo tendit, quia obiectum est actu extrinsecum. Dices, quod licet obiectum sit actu extrinsecum, ordo tamen eius ad obiectum, qui vel est respectus atingentia, vel representantis ad representatum est actu intrinsecus, cum actus essentialiter ab obiecto specificetur; sed nequit actus distincte, ac intuitive cognosci, ut talis, & prout ab alio actu essentialiter distinctus, nisi cum tali ordine ad obiectum atingatur; cognitio autem tali ordine necessario quoque ipsum obiectum cognoscitur; ergo si ab Angelo potest naturaliter cognosci actus beatificus alterius, ut talis est in specie, sicut necessario cognosci debet, si intuitive cognoscitur; sic etiam naturaliter cognosceret ipsum obiectum beatificum, quod est impossibile.

Respondeo, si argumentum urget, probare pariter non posse beatum videre suam visionem rectam per aliam reflexam naturaliter, quin etiam sic videtur obiectum beatificum, cuius oppositum supra demonstratum est; ait itaque Doctor *quod. 14.* in fine, quod Gabriel videns actum beatificum Michaelis ex propriis viribus non ob id intuitive videt obiectum beatificum; quia nimirum respectu intellectus Michaelis tantum se habet, ut ratio intelligendi ad modum speciei intelligibilis; respectu vero intellectus Gabriels se haberet tantum, ut ratio cognita, seu ut medium cognitum, atque ideò ducere non potest in notitiam distinctam, & immediatam obiecti beatifici; unde ut Gabriel videat visionem Michaelis, non debet ipsum obiectum visionis in se videre sub ratione, sub qua visio tendit in ipsum, sed solum videretur in visione, quatenus scilicet visio est similitudo formalis expressa ipsius, quod est idem ac dicere, quod videretur ipsa visio, quae est similitudo expressa ipsius; Quod evidenti laudatur exemplo, qui enim videt imaginem Caesaris etiam sub ratione, qua ipsum representat, non videt ipsam Caesarem in se, sed ut in imagine representatur, quae solum est cognitio abstractiva, non intuitiva; ergo pariter in proposito Angelus videns speciem expressam Dei, non eo ipso videtur ipsum Deum intuitivè, & beatificè; adhuc tamen cognosceret actus ille in se distinctè, & prout ab alio actu essentialiter distinctus etiam cum tali ordine ad obiectum beatificum, ut probat instantiam, licet non ita cognosceret obiectum beatificum, tum quia ad distinctam notitiam relationis non necessario requiritur notitia distincta termini saltem intuitiva, & immediata, ut dicitur *lib. 1. disput. 6. num. 23.* absolute loquendo; tum quia in proposito adest specialis repugnancia; quod obiectum intellectui creato proportionatum est eius finitum, & limitatum absolutum, vel relativum, cuius terminus non est infinitus, vel terminus sub ratione absoluta omnino supernaturali, & increata; quo pacto Deus est obiectum actus beatifici; Et hac de causa Rada, Aretinus, & alii Scotistae dicunt sub obiecto intellectus Angelici non contineri actum beatificum cum illo particulari ordine ad obiectum ut beatificum, & per consequens cum illo ordine non esse illum actum cognoscibilem naturaliter ab Angelo, quia relatio non potest cognosci, nisi cognitio termino, atque ideò solum ab Angelo cognosci posse entitatem absolutam illius actus.

325 Verum quod inquitur isti Scotistae sufficere non videtur, tunc enim urget instantia proposita, quod ille actus non videretur ab Angelo distinctè, ac intuitive, ut talis, & prout ab alio actu essentialiter distinctus; non enim sic videtur potest, nisi cum tali ordine ad obiectum atingatur; quare praestat respondere, ut dictum est, videri illum actum etiam cum illo ordine, non tamen ob id videri in se immediatè, & intuitivè obiectum illius actus, quia ad notitiam etiam distinctam relationis non necessario requiritur notitia distincta termini saltem immediata, & intuitiva, imò neque abstractiva per propriam speciem, quia neque talis notitia haberi potest naturaliter ab Angelo de Deo sub ratione Deitatis, nisi haberet speciem insulam divinam essentiae; sed sufficit abstractiva habita per discursum, quam in actu nostro haberet Angelus; arguitivè enim, & mediante discursu cognosceret eum actum esse beatificum, quia eo ipso, quod videret eum actum esse representationem Dei, ut est in se; colligere posset, quod esset visio beatifica, & in hoc sensu cognosceret illum actum etiam, ut beatificum, abique eo, quod Deum cognosceret distinctè, & in se sub proprio conceptu nec intuitivè, nec abstractivè; quod salvari non potest per illam communem Scotistarum responsionem, quod videretur actus ille tantum quoad entitatem absolutam, & nullo modo ordo ille, quem dicit ab obiectum beatificum.

Ex quo ruit instantia, quam urget Nazarius *contrav. c.* ubi arguit, quod si Angelus naturaliter videret visionem alterius, sic etiam Deum clarè videret, quia natura representativi tota est essentialiter ad representatum; ergo necesse est representatum distinctè cognosci, ut distinctè, ac perfectè cognoscatur

representativi natura, quia nequit relativum perfectè, & quidditativè cognosci abque correlativo sic perfectè cognito: Tum quia ex Aristotele *de memor. & remin.* idem est motus in imaginem, & in id, cuius est imago; cum ergo secundum Scotum visio sit imago expressa divinae essentiae; si naturaliter potest distinctè, ac intuitivè cognosci visio, sic etiam naturaliter distinctè divina videri potest eodem cognitionis gradu. Solutur, inquit, quia cum species tam impressa, quam expressa sit medium quo videndi obiectum, non sufficit alteri intellectui videri illum, ut eo ipso videt obiectum eius intuitivè, imò nec ut cognoscit abstractivè perfectè, & distinctè, ut eleganter quoque novit Smiling *trakt. 2. disp. 6. num. 74.* de cognitione intuitiva quidem patet in exemplo allato de Caesaris imagine, nam videns statim Caesarem non ideò videt Caesarem, sed solum abstractivè eum cognoscit, atque ideò ad visionem imaginis non necessario requiritur visio termini representati; & ratione etiam probatur, quia visio intuitiva est immediata, & immediatè terminatur ad obiectum in se praesens, non autem in aliquo representativo; De cognitione vero abstractivè perfectè, & distinctè hoc idem probat Smiling, cit. quia cum videtur imago sub ratione imaginis, solum necesse est abstractivè cognosci terminum, quatenus terminus est, quia ad cognoscendum relativum, ut sic, necesse est simul cognosci correlativum, ut sic; at cognitio correlativi, ut correlativum est, est cognitio eius imperfecta, & confusa, quia non representat eius rationem absolutam secundum se, & distinctè, sed solum confusè, ut quid subsistans respectu; ergo cum videtur imago sub rationis imaginis, eo ipso necesse non est terminum cognosci abstractivè perfectè, & distinctè, sed satis est cognosci abstractivè imperfectè, & confusè; neque ulla est implicancia eadem cognitionem esse simul intuitivam, & abstractivam respectu diversorum obiectorum, ut ostendit idem Smiling, eadem *disp. 6. num. 8.* si tamen eadem numero cognitione relativa cognoscatur, & non potius diversis; quamvis idem sit motus in imaginem, & in id, cuius est imago; hinc tamen non legitur utrumque distinctè cognosci debere in eodem claritatis gradu.

Quintò tandem, quod nequeat Angelus aliquos alios effectus quoad substantiam supernaturales distinctè, & evidenter cognoscere, sed solum supernaturaliter, & media revelatione, quae erit aetate pars conditionis, probatur, & quidem pro incarnationis mysterio evidenter sunt Scripturae, & Partum testimonium ab Adversariis adducta, ac etiam ab ipso Scoto *l. cit.* appellatum hoc mysterium secretum Dei; in vestigabile, a sensibus absconditum, magnum Sacramentum, admirabile, in intelligibile, & excedens omnem intellectus creati capacitatem; & probari etiam potest ratione ex Scoto *deducta quod. 14. art. 3.* ubi docet nullam relationem terminatam ad ens limitatum sub propria, & speciali ratione posse naturaliter, & distinctè cognosci ab intellectu creato, sed uno hypostatica est ratio naturae humanae terminata ad Verbum divinum sub ratione subsistentis incommunicabiliter, ergo &c. Sed urget, ex proximè dictis ad cognitionem distinctam relationis sufficit cognitio confusa termini, ergo Incarnatio saltem post executionem distinctè cognosci poterit ab Angelo, quia potest haberi confusa termini cognitio.

326 Respondeo negando assumptum; aliud enim est dicere ad relationem sufficere cognitionem confusam termini, ut distinctè cognoscatur, aliud verò ad hoc necessariam non esse cognitionem termini intuitivam, & immediatam, hoc secundum affirmavimus; non primum; rursus alius est loqui de relativo secundum dici, aliud verò de relativo secundum esse, seu de ipsa relatione; de illo utique diximus posse distinctè cognosci etiam sub ratione relativi cum sola confusa cognitione sui correlativi, quatenus correlativum est, etiam si per actum cognitionis non representetur eius entitas absoluta secundum se, & distinctè, sed solum confusè, ut quid subsistans respectui, & sic intuitivè diximus posse cognosci ab Angelo actum beatificum alterius etiam cum ordine ad obiectum beatificum, ac uno hypostatica est pura relatio secundum esse, non autem secundum dici, cuius primum tertium suum esse est ad aliud se habere; cognitio autem relationis huiusmodi pendet, & causaliter principaliter a cognitione termini, ad quod specificatur; ergo si est confusa, nequit illa esse distincta, aliter effectus excederet suam causam imperfecte.

Sed de hoc punctò videndum est P. Bellutus Collega meus *disp. 1. cit. quae. 3.* ubi ex in situ illud examinat, & docet mysterium Incarnationis non posse ab intellectu creato directè atingi quoad formale suum significatum realis unionis naturae humanae cum Verbo ob causam assignatam, cui excedat ex parte termini latitudinem adaequati obiecti naturaliter motivi intellectus creati; An verò saltem arguitivè, & per illusionem evidentem possit Angelus mysterium Incarnationis in actu positum naturaliter attingere, de quo etiam disputant Recentior-

327 Denique potest etiam eadem posterior conclusionis pars probari ex remissione peccati, quam nequit Angelus naturaliter attingere sine dependentia ab aliqua revelatione, hoc enim preferimus tenendum est in Scoto sententia de gentis, gratiam habitalem non sufficere peccatori in physice, & ex natura rei, sed tantum moraliter, & ex ordinatione divina, ut inferius suo loco patebit, quia supposita sententia sic arguitur; nequit peccatum remitti, nisi Deus velit illud remittere, vel per extrinsecam condonationem per actum liberum sine voluntatis, vel per insinuationem alicuius formae illi oppositae, ut de facto illud remittit; sed non est illa forma physice peccato opposita ex resolutione facta inferius probanda, nec potest Angelus cognoscere, quod Deus habeat talem actum liberum abique revelatione ipsiusmet Dei, ut est de se videtur; nequit propria virtute iustificacionem peccatoris cognoscere; Confirmatur, quia cognoscere nequit gratiam sanctificantem habere hanc motalem oppositionem cum peccato habituali, nisi cognoscatur Deum ordinatè mediante tali forma peccatum remittere, quandoquidem ex illa tantum ordinatione habet eam motalem oppositionem cum peccato, sed hoc cognoscere nequit nisi per specialem Dei revelationem; ergo etiam attingeret qualitatem absolutam per gratiam importatam in animam existentem non aduè cognosceret ipsam esse iustificatam, & peccatum esse remissum. Dices posse esse Angelum factum cognoscere actum claritatis supernaturalis a peccatore elictum, sed talis actus est cum peccato ex natura rei incompatibilis; ergo poterit naturaliter cognoscere peccatum esse illi remissum. Respondeo, si maior concedatur, adhuc debere negari minorem, etenim neque actus ille esset cum peccato incompensabilis ex natura rei, & physice, sed tantum moraliter, & ex divina ordinatione, quam Angelus cognoscere nequit nisi per specialem revelationem sibi a Deo factam, quod mediante tali actu peccatum dimittitur vellet.

ARTICULUS TERTIUS.

Difficultates enodantur

328 IN oppositum obicitur Primum praetatum oppositae sententiae fundamentum; quod est supernaturalis: quoad substantiam cognoscit nequit, nisi supernaturaliter, sed omnia mysteria gratiae sunt supernaturalia quoad substantiam, ergo &c. maior probatur, quia res intelligibilis debet esse essentiae, & naturae esse proportionatae, & commensuratae; ergo si res quoad substantiam est supernaturalis, non cognoscibilis, nisi supernaturaliter. Respondet Doctor in terminis, ead. *primè* negando maiorem, sicut enim non sequitur, hoc est ens naturale ergo solum naturaliter potest cognosci, sic neque sequitur, hoc est ens supernaturalis, ergo solum supernaturaliter est cognoscibile; quare sicut ens naturale potest cognosci naturaliter, & supernaturaliter, ita etiam ens (sive naturale creatum in actu existens potest non solum supernaturaliter, sed etiam naturaliter cognosci, quia, eo ipso quod in actu ponitur, continetur intra obiectum adaequatum intellectus; & ratio a priori est, quia supernaturalitas quoad substantiam, ut supra dictum est non importat in esse supernaturali praedictatum intrinsecum, & absolutum entitativè rem constitutens in tali esse; sed solum extrinsecum relativè, illam formaliter denominans supernaturalitatem subiecti, vel causae efficientis; unde cum consistat supernaturalitas praesens in excessu secundum essentiam, quatenus talis forma efficitur a Deo supra omne debitum naturae, hoc quod aliud sit supernaturale secundum substantiam, solum inferri potest, quod non sit factibile nisi a solo Deo & supra omne naturae debitum, non autem quod sit a solo Deo

cognoscibile, unde non dicitur ens supernaturalis comparatione causa cognoscens, sed agentis, & causalis; atque ideò non valet haec consequentia, non potest hoc, nisi supernaturaliter produci; ergo nec cognosci, nisi supernaturaliter, nec sequitur, est ens supernaturalis, ergo non potest naturaliter cognosci, sed tantum quod non potest naturaliter produci; Ad probationem illius maioris, quod cognoscibilitas sequitur ad probationem illius minoris, & respondetur hic, in eo tantum sensu verificari, quod res ex eo quod habet entitatem est cognoscibilis ab intellectu; sed non sequitur rem; aure est proportio nata semper in modo cognoscendi, ita ut res est naturalis, vel supernaturalis, naturaliter solum, vel supernaturaliter cognoscatur; nam si naturalis sit, si supernaturalis, est utroque modo cognoscibilis, si ens creatum sit, quia supernaturalitas ut dixi, non est praedictatum cognoscendi, & absolutum entitativè constitutens rem in esse tali, sed solum extrinsecum, & relativum illam formaliter denominans supernaturalitatem comparatione subiecti, vel causae efficientis, non autem causa cognoscens.

Deinde Arriaga quoad hanc rationem nihil concludere, & in ea magnam committi equivocationem arguitur enim a cognoscibilitate passiva rei ad activam, sed cognoscendi vim tenentem se ex parte cognoscentis, quod est longe diversum, ac si quis diceret, cognoscibilitas proportionatur essentiae, essentia divina est increta, ergo cognoscibilitas eius est increta, ergo non potest nisi per incretam cognitionem incretae, quae videtur esse pessima consequentia, sic ergo neque in proposito valet arguere, res cognita est supernaturalis, ergo vis cognitiva, & cognitio debet esse supernaturalis, quia argumentum petit convenientiam inter obiectum, & potentiam; ac eius actum in praedictis essentialibus, quod sicut res contra est supernaturalis, ita & cognitio, quod tamen est omnino fallum, quia ut docet Scoto *diff. 45. q. 2.* ab illi frequenter inter obiectum, & potentiam, ac actum eius, non est necessaria convenientia in essendo, sed solum in representando; unde sicut substantia potest exprimi per cognitionem, quae est accidentis, ita & res supernaturalis per cognitionem, quae sit naturalis, quia inter actum, & obiectum non est necessaria convenientia in essendo, & in praedictis essentialibus, alioquin valeret arguere cognoscibilitas commensuratur naturae rei ergo si res cognoscibilis est substantialis, vel substantialis, cognitio nequit nisi per cognitionem substantialem, vel quae sit substantia. Denique ut uno verbo dicam, concludit argumentum ad summum, quod est supernaturalis in substantia non potest naturaliter intelligi simpliciter, & absolute loquendo, semper enim supponi debet aliquid miraculum, virtute cuius ponatur in esse effectus supernaturalis, qui positus in actu potest esse postea obiectum naturalis cognitionis, ut supposito miraculo de existentia corporis Christi in Eucharistia, potest ea praesentia esse deinceps obiectum naturalis cognitionis Angelis; quae etiam dici poterit, ac debet esse supernaturalis praepositivè, licet sit in formaliter naturalis, quatenus non potest haberi, nisi aliquid supernaturale praecesserit, & sic discendum est in aliis effectibus quo ad substantiam supernaturalibus, qui possunt ab Angelico intellectu naturaliter cognosci.

Secundo, intellectus nosse inhaeret elevatione, ut videtur Deum, quia est obiectum supernaturale, ergo nullum obiectum supernaturale potest cognosci ab Angelo actu naturali. Confirmatur, quia cognitio, quam habet Angelus de habitu, vel actu supernaturali in seipso, aut in alio, esset supernaturalis, non verò naturalis, ergo &c. probatur assumptum, quia illa cognitio est supernaturalis, quae nequit haberi abque concursu principii supernaturalis, hac enim ratione adest fides, vel charitatis dicitur supernaturalis, quia produci nequeunt abque concursu illorum habituum supernaturalium; sed illa cognitio non potest haberi sine concursu actus, vel habitus supernaturalis, qui videretur ab Angelo, ergo &c.

Respondeo intellectum nostrum indigere elevatione ad videndum Deum, non quia sit ens supernaturale utcumque, sed quia est ens supernaturale, & incretum, quod ob suam infinitatem perfectionem ab intellectu creato in finem distat, & est respectu illius obiectum voluntarium, & liberum, quod si vult videri, & si non vult, non videtur; quae quidem ratio de aliis rebus supernaturalibus creatis minime urget, quandoquidem illae non sunt perfectiores in essentia, quam ipsa substantia Angeli, imò potius imperfectiores, cum sint formae accidentales. Ad Confirmationem negatur assumptum, ad probationem vera est maior, quando illud principium supernaturale ita elevat potentiam ad actum, quod potentia illum habere non potest, etiam si haberet obiectum sufficienter propositum, & applicatum, quo sensu dicitur eius probatio; ac in proposito ad illam cognitionem, quam habet Angelus de suo actu, vel habitu supernaturali, concurreret actus ille, vel habitus per modum tantum obiecti naturaliter moventis potentiam, non autem per modum principii elevantis potentiam. Dices concurre-

teret ita per modum objecti, quod eius praesentiam acquirere non possit propria virtute, sed supponi debet productum per antecedens miraculum, ergo non concurreret per modum obiecti naturaliter movens, sed supernaturaliter; Respondet per hoc probari tantum eam cognitionem esse supernaturalem tantum praesuppositam, quatenus haberi non potest, nisi aliquid supernaturale praesens, non vero proprie, & formaliter nam postea quam posita est in esse praesentia corporis Christi in Eucharistia, aut aliquid actus supernaturalis elicitur ab intellectu, cum fit ens creatum, continetur intra obiectum adaequatum intellectus creati, potestque illum naturaliter movere, si fuerit illi sufficienter applicatum.

331 Tertio omnia mysteria gratiae sunt simpliciter supernaturalia, & ordinis supernaturalis, non igitur habere possunt naturalem proportionem eam naturalem lumine intellectus Angelici, nam naturale lumen proportionatur solum cum obiecto ordinis naturalis. Confirmatur, quia potentia debet esse cum obiecto in eodem ordine, ergo si hoc est supernaturale debet esse aliud quod comprehendit supernaturale potentiam elevans, quia sicut ad intelligentiam supernaturalem requiritur lumen naturale, ita ad cognitionem rei supernaturalis requiritur lumen supernaturale, quomodo rationem fuisse profecit Amicus *disp. 13. ut caeteris meliore.*

Resp. esse alioris ordinis extrinsecum solum respectu causae efficientis, & subiecti, cui sunt indebita; alioquin intrinsecum, & secundum entitatem considerata, ut praedictum ab omni extrinseca habitudine ad causam, vel subiectum nulla apparet ratio alioris ordinis, ut nequeant ab Angelo naturaliter cognosci; cum in actu posita iam sint entia creata, & sub obiecto naturali intellectus eius contenta, unde quoad intelligibilitatem dici possunt, ac debent ordinis naturalis formaliter, & in se, & solum dici possunt ordinis supernaturalis praesuppositivemodo iam explicato.

Ad Confirmationem iam dictam est potentiam in re nostra esse cum obiecto in eodem ordine, nam ens supernaturale licet in ratione effectus continetur in ordine superiori per comparationem ad agens, tamen in ratione obiecti comparatione potentiae cognoscens dicitur ordinis naturalis, & ideo lumen naturale sufficit ad percipiendum tale obiectum; absque tamen loquendo assumptum illud omnimodam veritatem non habet, & illa aequalitas ordinis potentiae cum obiecto solida non est, ut ait Arriaga, nam etiam potentia elevata lumine gloriae ad videndum Deum adhuc est in diverso ordine a Deo; sic enim est in ordine increato, & se infinito, illa autem in ordine finito, & ab alio, seu creato, & tamen illi potentiae hic constituta naturalis est visio Dei.

332 Quarto, urget rationem D. Thomae, res supernaturales pendere a sola Dei voluntate; ergo non possunt naturaliter cognosci, quia voluntas Dei naturaliter non cognoscitur a creatura. Haec ratio omnium inferiorum cogitatur a Recentioribus, tunc quia Angeli quoque existentes pendet a Dei voluntate, & tamen Angelus naturaliter cognoscitur ab Angelorum quia aequo probet res supernaturales quoad modum ab Angelo cognosci non posse, quoniam licet ex sola Dei voluntate pendet secundum esse, aut non esse, ut oculi resitudozium quia quando res existit, & postea est facta, tamen eo ipso per ipsam Dei voluntas manifestatur, sicut licet alius meam voluntatem in seipsa videre nequeat, potest tamen videre effectum externum ab ea procedentem, & ex illo cognoscere voluntatem meam. Narrantur tamen Thomae hanc D. Thomae rationem defendere; Nazarius inquit Divum Thomam non loqui de his quae pendent ex divina voluntate precise, sed de his quae propria voluntate producit supra totum ordinem naturalem, qualis non est existentia Angeli, addit ea proprie dici ex sola Dei voluntate dependere, quae nullam habent dependentiam, aut naturalem connexionem cum rebus ordinis naturalis. Sed ita explicando rationem D. Thomae variatur medietas terminus, aliud enim est aliud pendere ex divina voluntate sola in sua existentia, aliud vero illud produci supra totum ordinem naturalem; multa namque in sua existentia pendet a sola Dei voluntate, quae tamen non producitur supra totum ordinem naturalem; tum quia aliqui effectus supernaturales quoad substantiam licet nullam habeant dependentiam, vel naturalem connexionem cum rebus ordinis naturalis, ut naturalem connexionem cum rebus ordinis naturalis in ratione effectus producibilis, habent tamen talem connexionem cum eis in ratione obiecti cognoscibilis, ut probatum est. G. ranandus ait esse disparitatem rationem de existentia Angeli, & alienius effectus supernaturales, quia res supernaturales, ita pendet a Deo, ut non habeat Angelus species de illius, secus de existentia Angeli. Serra ait rationem hanc esse intelligendam de his, quae a sola Dei voluntate pendunt non tantum quoad eorum productionem, sed etiam quantum ad cognitionem. In qua solutione bene nota vit Arriaga aperit principii petitionem, id enim est quod quaeritur, cur Angelus species habeat: eorum naturalem, non vero supernaturalem, cum aequo ambre pendet a voluntate Dei,

que principii petitio aliquid patentem est in auctoritate Serra. Aversa, & Lexana inquit addere oportere, quod mysteria gratiae dependent ex voluntate Dei, tanquam auctoris supernaturalis, Angelus autem non potest propriis viribus cognoscere Deum, ut auctorem supernaturalem, ad libera ipsius de cetero hoc specialiter revelatione. Ponitur etiam arguendo sic explicato, & ob id ita esse valde probabile, quod Angelus nequeat naturaliter cognoscere entitatem nostram intelligentiam virtute cognitione probabili, si quae ait explicandos esse Scotum, & Scotus, si voluit. Supplicor tamen nec Scotum, nec Scotus velle sic explicari, quia ipsi palam loquuntur de cognitione certa, & evidenti, ut constat ex probatione conclusionis. Reicienda est itaque haec etiam ultima solutio, tum quia ipsa quoque variat medium in ratione D. Thomae, ut patet: tum quia ex cognitione tallum effectum supernaturalem in substantia non immediate, & directe cognosceret Deum, ut auctorem supernaturalem, sed tantum indirecte, & arguente mediante distinctio, ex eo enim, quod actu reflexivo se videret actu beatificum, & copio, quo videtur illum esse reprobationem Dei, ut est in se, colligere posset, quod esse visio beatifica, & quod ad eam concurreret Deus, ut auctor supernaturalis; & ex eo, quod videret idem corpus esse simul, & semel in pluribus locis, & cognosceret eam locorum simultatem non esse ulli corpori con naturalem, inde colligere posset, quod a Deo sit producta, ut ab auctore supernaturali; Dies, etiam absurdum esse concedere, quod creatura ex puris naturalibus arguitur, & mediante distinctio possit cognoscere Deum, ut auctorem supernaturalem, quia ad hoc necessaria est specialis revelatio, unde Philopoli quantumvis acute discurrerint ex effectibus creatis, nunquam potuerunt plus Deum cognoscere, quam ut naturae auctorem. Respondet plus non possit Philopoli, quia non discurrerant ex effectibus creatis, nisi ordinis naturalis; & gratis concedo, nec Angelum ex puris omnino naturalibus nullo supposito miraculo etiam arguitur Deum cognoscere, ut auctorem supernaturalem; unde supra dixi ad hoc suppositum debere aliquod miraculum, quod licet a Deo supra naturam agente producta sit praesentia Corporis Christi in Eucharistia, vel visio in intellectu beatorum, quae ideo dixi cognitionem tallum effectum supernaturalem ab Angelo naturaliter cognoscitur dici debere supernaturalem praesuppositivem, quia non potest haberi, nisi aliquid supernaturale praesens, non vero proprie, & formaliter.

Quinto argumentatur Suarez, ad cognoscenda ea, quae sub eius obiecto comprehenduntur, habet Angelus viam, & modum sibi naturaliter debitum, & ita sunt illi species naturaliter debita, vel a principio indite, vel per naturales causas acquiribiles; sed ad cognoscenda haec supernaturalia entia non habet Angelus naturalem viam, quia nec species tallum rerum magis sunt illi naturaliter debita, quam ipsae qualitates gratiae, nec tales species per causas naturales fieri possunt. Confirmatur species proprie repraesentantes haec entia supernaturalia in se sunt eisdem ordinis cum ipsis; & ideo oportet, ut sint supernaturales; ergo non possunt esse debita Angelis, quia ipsa supernaturalia dona; probatur assumptum, quia spes debet habere entitatem, & immaterialitatem proportionatam ad repraesentandum obiectum prout est, & ideo opus est, ut eisdem ordinis sit cum illo.

Respondet negando minorem, nam possent videri ab Angelo actus, & habitus proprii supernaturales absque ullis speciebus cognitione intuitiva, ad quam species necessaria non est; & dato illam haberi non posse sine speciebus, negatur illas non esse magis debitas, quam ipsa dona supernaturalia, nam Angelo non debetur albedo, & tamen est ei debita species albedinis; nec uni Angelo est debita intellectus alterius, & tamen est ei debita species illius, quamvis ergo non debeatur Angelo res supernaturalis non tamen hinc redire inferretur neque ei debetur species de sua re supernaturali, sed hoc est aliunde probandum; Ad Confirmationem negatur assumptum, quia species semper deficit entitative de perfectione obiecti, alioquin species substantiae deberet esse substantia, & expeririur speciem innel gibilem rei materialis non esse eisdem ordinis cum re materiali quantum ad rationem materialitatis; licet sit eisdem ordinis quantum ad rationem naturalitatis; sic ergo in proposito opus non erit speciem rei supernaturalis esse eisdem ordinis cum illa quantum ad rationem supernaturalitatis; ad probationem illius assumpti concedo speciem debere habere entitatem proportionatam ad repraesentandum obiectum, ut est in se, sed negatur hinc sequi, quod esse debet eisdem ordinis cum illo, quia non illo proprio fit solum in repraesentando, non in el-tendo, talem non possunt conveniendam, ut sint eisdem ordinis quantum ad efficientiam; sed sufficit sola transcendentalis similitudo in gradibus spiritualitatis. Itaque species illorum actuum, & habituum supernaturalium essent naturales, & Angelo consistat aliter debere suppositivem existentiam illorum actuum, & ha-

& habitum; sive ponatur ad Deo insulae, sive ab illis qualitatibus producta; nec illa apparet ratio, cur tales species ab eis produceret esse deberent supernaturales, sicut ipsae qualitates, ut concedit Suarez, non enim omnia, quae a re supernaturali producuntur, sunt formaliter in re supernaturali; multa enim sunt talia solum praesuppositivem, ut patet in dolore, quem potest Daemon naturaliter habere de amica gratia; cuius manifestatio reddit rationem a priori Arriaga *loc. cit.* quia licet sola res naturalis nequeat supernaturalem producere, nam inferior non potest producere superiorem, quia eam non continet, & contra tamen potest res superior producere inferiorem; sic Deus ens a se, spirituale, intellectivum, producit entia finita, materialia, non intellectiva, & in creatis licet accidens non producat substantiam, quia eam non continet, tamen substantia producit accidens, sic igitur in re nostra, licet res supernaturalis nequeat a sola naturali produci, potest tamen eam producere, & consequenter potest speciem illi, vel cognitionem naturalem producere in intellectu Angeli, supposito miraculo, quod ea res supernaturalis sit semel a Deo producta, ut auctore supernaturali.

333 Sexto arguitur Suarez, specialiter de mysterio Euchar. existentia corporis Christi in Sacram. conservatio panis, & vini, atque conservatio accidentium abque subiecto sunt obiecta merè credibilia, ut ajunt Patres, non ergo naturaliter attingibilia, alioquin fides insula non esset simpliciter necessaria ad illa cognoscenda, siquidem ad cognitionem illam potest natura attingere, si non esset simpliciter eminentior omni cognitione naturali. Confirmatur, quia ut cognitio praesentis corporis Christi in Sacramento cognoscitur per cognitionem substantiae corporis Christi, aut per propriam speciem sui non primum, quia substantia corporis nullam habet convenientiam cum hac praesentia, siquidem substantia corporis requirit de se extensionem ad locum, & esse modo quantitativo in localitate autem existentia Sacramentalis habet opposito modo, neque secundum quia species illa est supernaturalis. Respondet non omne credibile, seu quod est obiectum fidei esse solum supernaturaliter attingibile, siquidem existentia Dei, ac unitas sunt obiecta fidei, ac etiam naturaliter cognoscibilia, ut dictum est in Metaphysica; ita igitur in proposito praesentia corporis Christi in Eucharistia, & conservatio accidentium sine subiecto, quamvis respectu intellectus sensibus alligati sint obiecta merè credibilia, quo sensu

loquuntur Patres, & Ecclesia, cum ait, *quod non capis, quod non vides, animosa firmas fides*, tamen respectu intellectus separati est obiectum etiam naturaliter sensibile; neque respectu huius intellectus est necessaria simpliciter fides insula ad illa cognoscenda, sed tantum respectu illius, ut ait Doctor *loc. cit.* in solutione ad secundum principale. Ad Confirmationem satis constat ex dictis ad argumentum praecedens.

336 Postremo urget testimonium Scripturae, & Sanctorum, quibus manifeste significant mysteria gratiae etiam in actu positiva cuicumque intellectui sive coniuncto, sive separato esse occulta; pro mysterio Incarnationis adducitur illud *Itaie 63. quis est iste, qui venit de Edem in cinis vestibus?* in quem locum Dionysius *cap. 7.* celestis hierarch. ait, quod est vox Angelorum interrogantium Christum euntem in Coelum, pro visione beata adducit illud *1. Corint. 2. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus, &c.* ubi loquitur Apostolus de oculo intellectuali, & solum Deum excipit a visione mercedis, sive praemii dilectorum Dei preparati; pro mysterio tandem Eucharistiae adducitur *Damascenus lib. 4. cap. 5.* ubi loquens de Sacramento Eucharistiae ait, *verè spiritus operatio haec, quae supra naturam sunt, operatur, quae non potest capere, nisi sola fides, ex quibus, & similibus testimonio constat Nazarius simul cum aliis Thomae Scoti sententiam esse temerariam, & non satis fidei contentaneam.*

Respondet non nisi temerè, ac temerariè ex praesatis testimonio deduci ab Aduersariis temerariam esse Scoti sententiam, & parum fidei contentaneam; primum enim testimonium non urget, cum mysterium Incarnationis peculiariter habeat rationem, cur nequeat naturaliter ab Angelo intuitivè cognosci, neque abstractivè sub proprio, & quidditivè conceptu, ut constat ex secunda conclusionis parte. Neque secundum urget, quamvis enim ibi loquitur Apostolus praesertim de oculo corporali, & intellectu coniuncto, ut patet ex eius verbis dato tamen quod de quocumque loquitur creato intellectu, adhuc nihil facit negotii, nam fallum est, quod videns beatam visionem videret quocumque Deum intuitivè, quo pacto visus est nostra merces, ut patet ex dictis *num. 323.* Nec tandem urget tertium, quia Damascenus ibi loquitur de nobis pro statu isto, ut exponit Doctor *loc. cit.* in solutione ad tertium principale.

DISPUTATIO TERTIA DE DEMONIBUS.

QUESTIO PRIMA.

An Demones peccare potuerint in primo sua creationis instanti.



ACTENUS egimus in praecedenti disputatione de Angelis ex sua natura consideratis, & indistinctè sive bonis, sive malis; nunc speciatim in praesenti disputatione de Angelis malis agendum est, qui Demonum appellatio solent intelligi, & dicuntur Angeli mali non ex natura sua, sed ex culpa; & sensus quaesiti est, an Angeli mali iuncta naturam suam peccati potuerint peccare in primo instanti, quo fuerit creati; alioqui si considerentur in gratia sanctificante, & cum actuali conversione ad Deum, sicut de facto creati sunt, unice cum hac gratia, & conversione non poterit simul stare peccatum, cum peccatum, & gratia saltem de potentia ordinaria simul esse nequeant. Supponimus hic enim ex communi uerbum Scholasticorum, sed etiam Patrum consensu omnes Angelos fuisse ab initio in gratia conditos, ut luculentè deducitur ex illo *Itaie 14. quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Et ex illo *Ezech. 28. in deliciis paradisi Dei fuisti omni lapide pretioso ornatus, quem locum explicans Aug. 1. 11. de Civ. 15. inquit, ex quo intelligitur fuisse aliquando sine peccato, & adhuc clarius ex epitola Iude, ubi de malis Angelis, dicitur, Angeli vero qui non servaverunt suam principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, quod fit Angeli mali nunquam boni fuissent, sed semper mali, non dicerentur reliquisse domicilium, scilicet innocentiam, quia nunquam illam habuissent.*

Quibus testimonio accedit auctoritas Concilii Bracarenfis sub Joanne III. can. 7. damnantis dicentes, *Diabolum non fuisse prius Angelum bonum a Deo factum, ac proinde hanc opinionem,*

ut erroneam, & ab Universitate Parisiensis damnatam referunt D. Thomas *1. p. quaest. 63. art. 5.* & D. Bonavent. *2. dist. 3. art. 1. quaest. 2.* quam secutus est Eugubinus *l. 8. de heremi Philopoli. c. 38.* propter verba Christi Domini *Io. 8. ille homicida erat ab initio, & Io. 3. ab initio Diabolus peccat;* quae tamen testimonia non urgent, nam *Aug. lib. 11. Genes. ad lit. cap. 16.* verba illa explicat non de primo peccato Luciferi, vel sicutiorum; sed de illo, quod commisit inducendo primos homines ad peccandum; quod si de primo Luciferi peccato intelligi debere quis contendat, non adhuc urget, quia de initio peccati, non de initio creationis sunt intelligenda iuxta aliam Augusti expositionem *1. de Civit. cap. 15.* ubi ait, *& illud, quod ab initio Diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandum est, sed ab initio peccata, quod ab ipso superbia cepit esse peccatum;* quod si tandem etiam de initio creationis ibi sermone fieri contendat; neque adhuc urget, nam particula *ab initio* non denotat momentum ipsum individuum suae creationis, aut totius mundi, sed parum post initium mundi, ratione cuius parva distantia dicitur ab initio peccasse; Quae igitur solam esse de possibili & sensu est an prima operatio voluntatis Angeli potuerit esse mala, vel peccaminosa.

His praemissis tres extant sententiae in hac controversia, duae extremae, & una media; Prima extrema est Thomistarum absolute negantium potuisse Angelum peccare in primo sue creationis instanti, tam de potentia ordinaria, quam ab initio; ita D. Thomas *1. p. quaest. 63. art. 5.* ubi eius expostores Cajet. Bannes, Zamel, Nazarius, Serra, Salmatic. *disp. 1. in duobus univ. Ioan. de S. Thoma qu. 59. disp. 23. art. 2. Arrabal. disp. 13. cap. 2. & 4. Granad. tract. 1. dist. 4. Capreol. 2. dist. 9. 1. Ferrar. 3. contra gentes cap. 109. & alii.* Altera sententia extrema est Scotistarum, ac Nominalium simpliciter absolute affirmantium potuisse Angelum peccare in primo sue creationis instanti etiam de potentia ordinaria, ita Scotus *2. dist. 5. quaest. 2. Mairon. qu. 3. Bassol. quaest. univ. art. 2. Greg. quaest. 1. art. 2. Aureol. dist. 1. art. 2. & 3.*